
Bishop Caulfield's 'Relatio Status', 1796

Author(s): Patrick J. Corish

Source: *Archivium Hibernicum*, 1966, Vol. 28 (1966), pp. 103-113

Published by: Catholic Historical Society of Ireland

Stable URL: <https://www.jstor.org/stable/25487383>

JSTOR is a not-for-profit service that helps scholars, researchers, and students discover, use, and build upon a wide range of content in a trusted digital archive. We use information technology and tools to increase productivity and facilitate new forms of scholarship. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

Your use of the JSTOR archive indicates your acceptance of the Terms & Conditions of Use, available at <https://about.jstor.org/terms>



Catholic Historical Society of Ireland is collaborating with JSTOR to digitize, preserve and extend access to *Archivium Hibernicum*

JSTOR

BISHOP CAULFIELD'S 'RELATIO STATUS', 1796

Edited by
REV. PATRICK J. CORISH

This document, from a draft in the Diocesan Archives, Wexford, is published by kind permission of the bishop, Most Rev. Dr Herlihy. It is quite likely that the copy sent to Rome is to be found there, either in the archives of the Congregation of the Council or those of Propaganda, but this draft is a clean copy which seems sufficiently final to warrant its publication. A partial summary, in English, may be found in Renehan, *Collections on Irish Church History*, ii. 47 ff. (Dublin 1874). The summary would appear to have been made from the document edited here.

Ecclesiae Fernensis in provincia Dubliniensi et regno Hiberniae Relatio Status, ad normam Instructionis a S. Congregatione Concilii anno Domini 1725 emanatae atque typis editae in calceo praeclarissimi operis *De Synodo Dioecessana* inscripti a felicitis recordationis Pontifice Benedicto XIV lucubrati. Edit. Rom. 1767.

Iacobus Caulfield Episcopus exponens, diocesis Fernensis oriundus, antea sacerdos saecularis, anno 1757 ordinatus ab Illmo. et Rmo. D. Nicolao Sweetman suo tunc ordinario, ad titulum missionis Hibernicae, et studiorum causa in Hispaniam profectus, et iisdem per octennium in collegio majori D. Thomae Aquinatis Hispalensi incumbens et doctoratus in s. theologia gradu insignitus, donec infirma valetudine et medicorum consilio in hanc suam patriam reverti coactus fuit: tunc iussu sui ordinarii, vicario generali Fernensi, in parochia rurali per quadriennium deserviens, tandem anno 1771 parochus et rector S. Mariae Rosspontensis (seu de Ross) et initio anni sequentis thesaurarius et vicarius generalis episcopi constitutus fuit.

Anno 1781 Illmo. et Rmo. Dno. Johanne Stafford episcopo Dolichiensi in partibus et coadiutore Fernensi ad meliorem vitam vocato, episcopus exponens, nullis suis expetentibus votis, nedum poscentibus meritis, sed postulantibus et supplicantibus supra laudato Nicholao episcopo et capitulo Fernensi, commendantibus quoque provinciae Dubliniensis praesulibus, indeque suffragantibus Emis. et Rmis. D. D. S. Congregationis de Propaganda Fide cardinalibus, a Ssmo. D. N. Dno. Pio Papa VI feliciter regnante episcopus Birthensis in partibus et coadiutor Fernensis

cum iure successionis nominatus et constitutus fuit die 26 Februarii anni 1782. Consecrationis vero beneficium septimo Iulii eiusdem anni ab Illmo. et Rmo. D. Johanne Carpenter tunc archiepiscopo Dubliniensi recepit, assistentibus Illmo. et Rmo. D. D. Johanne Thoma Troy tunc episcopo Ossoriensi, nunc vero dignissimo archiepiscopo metropolitano Dubliniensi et Hiberniae primate, et ex indulto apostolico amplissimo D. Bernardo Downes decano Fernensi.

Episcopus exponens non est ausus ad sedem suam Birthensem utpote regimini vel tyrannidi infidelium infeliciter subiectam se conferre; nec de eius statu aliquid cognoscere potuit ob distantiam et communicationis defectum; sed indulgentia et auctoritate apostolica in dioecesi Fernensi remansit, administrans eandem, prout laudatus Illmus. Nicolaus Fernensis episcopus scilicet coadiuvandus ordinaverat et mandaverat, cui continuo et fideliter rationem suae administrationis reddebat, usque ad diem 19 Octobris anni 1786, quem, Deo vocante, clausit ultimum.

Exinde episcopus exponens, iure successionis ipsi benignitate apostolica concessae, ecclesiae Fernensis moderaminis et regiminis formidandum onus suscepit. Novit indubie episcopus exponens indultum esse Hiberniae episcopis a S. Congregatione Concilii sub 10 Maii 1631, annuente summo pontifice Urbano VIII, ut singulis dumtaxat decenniis sacra apostolorum limina visitarent et statum ecclesiarum sibi respective commissarum eidem S. Congregationi exponerent; nec immemor esse potest hoc idem onus ipsi sub iuramento impositum esse, per suae consecrationis breve apostolicum.

Hinc episcopus exponens etsi ardentissime desideret huic debito plenissime quoad sensum et litteram satisfacere, regiam et apostolicam istam urbem, caput scilicet et centrum Christianitatis invisere, spectare et cum gaudio et ecstasi admirari, relationem status suae ecclesiae per seipsum exhibere et (quod ipsi maxime optandum est) osculum Suae Sanctitatis pedum obtinere. At heu me miserum! angustiae temporum, calamitates insanientium perditorum hominum furore inductae et rerum suarum circumstantiae ipsum non patiuntur longum dehinc et nunc intutum iter Romanum instituere. Nota his turbulentissimis temporibus pericula ex itinere, mari terraque ipsum deterrere plus satis sufficiunt: nec (quod serio perpendendum est) suppetunt ipsi media pro expensis itineris, utpote qui ob paritatem reddituum etiam privatim stricta cum oeconomia aliquali decentia vix hospitaliter vivere potest.

Episcopus exponens non dubitat quin veneranda et sacra Congregatio haec infausta impedimenta, ut revera sunt, pro legitima propeditione habeat et eo facilius in personali visitatione cum ipso benigne dispensabit. Imo in his circumstantiis fidenter sperat exponens se debito suo et sacrae Congregationi satisfacturum per suum in Curia agentem ad hoc specialiter

constitutum et plene instructum exhibendo sequentem status suae ecclesiae relationem, ad normam supradictae instructionis. Sit igitur

Paragraphus primus

De ecclesiae Fernensi statu materiali, et primo loco de institutione

Institutio. S. Edanus primus episcopus. Ecclesiae Fernensis primus episcopus fuit S. Edanus, Moedachus quoque dictus, Hibernice Moeg, regio sanguine ortus, sed die et anno incertis natus in villa de Innis-breagmuig, in agro seu comitatu de Cavan in Ultonia provincia. Iuniori in aetate S. Laseriano in monasterio de Devenish charus et familiaris fuisse fertur; iuvenis in Magnam Britanniam ad S. Davidem Meneviensem episcopum se contulit, sub quo liberaliter et pie educatus, aliquot post annos in suam patriam reversus, episcopus vel (ut aliqui volunt) archiepiscopus consecratus anno 590 sedem fixit in oppido de Ferna (anglice Ferns) in comitatu Wexfordiensi et provincia Lagenia seu Dubliniensi, fundum praestante et donante Brandubo vel Brandubho rege Lageniae. Ferns seu Ferna nomen assumpsit a Ferna heroe qui ibi a Gallo filio Mornae occisus fuit. Ecclesiam Fernensem rexit sanctus Edanus usque ad annum 632, quo plenus dierum et meritorum obdormivit in Domino die 31 Ianuarii, qua die in fastis ecclesiae commemoratur et festum eius celebratur in dioecesi Fernensi, quae ipsum ut specialem patronum veneratur. Non defuerent historici etiam Hiberni qui scripserunt sanctum Edanum per 50 annos rexisse ecclesiam Fernensem et post multa patrata miracula et erecta coenobia seu monasteria mortuum die et anno supradictis et sepultum esse in sua cathedrali ecclesia Fernensi. Non apparet sedem episcopalem Ferna aliquo translatum fuisse, quamvis aliqui eius praesules adscripti et fortasse subscripti fuerint episcopi Wexfordienses, probabiliter ob eorum residentiam temporariam Wexfordiae utpote notioris et praecipui capitis civilis comitatus: nam certum est unum et vel alterum ibi commoratum fuisse, sicut et in oppido seu burgho de Feathard, sed solum ad tempus, usque ad eversionem Catholicae religionis.

II. Confinia Dioecesis Fernensis ad septentrionem conterminam habet archidioecesim Dubliniensem in comitatu Wickloviensi et dioecesim Leighliniensem Kildariensi unitam occidentem versus in eodem et comitatu Carlowensi: ad occidentem, dioecesim Ossoriensem in eadem provincia et comitatu Kilkenniensi, et exiguam partem dioecesis Waterfordiensis, cui unita est Lismorensis in provincia Cassiliensi; ad austrum vero et orientem per mare Hibernicum terminatur.

Longitudo et latitudo Fernensis dioecesis ab austro occidentali ad septentrio-orientales extremitates longitudinem habet triginta et octo milliarium Hibernicarum, latitudinem vero viginti: milliaria Hibernica maioris mensurae sunt.

III. Praesules Fernenses nullo, quod sciat episcopus exponens, privilegio vel praerogativa potiuntur prae ceteris provinciae Dubliniensis vel aliis Hiberniae episcopis.

IV. Civitas nulla Dioecesis Fernensis nullam omnino habet civitatem, nisi forte Ferna (quae nunc quidem est mera villula) ob sedem episcopalem titulum talem sibi vindicet; quod hic inusitatum est.

Oppida vero insigniora sunt tres; Wexfordia caput scilicet comitatus et portus maris ad orientem, sicut et Ross seu Rosspontis ad occidentem et Enniscorthia circa centrum. Tria ista sunt municipia seu oppida sociata vel corporata, ut etiam sunt, etsi minoris notae, Taghmun, Feathard, Clomines, Bannow et Gorey; ex singulis eorum octo eliguntur duo senatores pro generalibus regni comitiis, seu parlamento. Nulla dantur alia praeter pagos et villulas notatu indignas.

V. Ecclesia cathedralis et collegiata Cathedralis ecclesiam Fernensem (cuius solum extant nunc magnificae ruinae) sicut et collegiatam et praebendas cum eorum redditibus et proventibus possidet Protestanticus clerus. Clerus vero Catholicus per leges regni bonis quibuscumque stabilibus privantur. Hinc unice fidelium eleemosynis consuetudine aliquo modo fixis sustentantur.

VI. Dignitarii canonici et praebendarii Dioecesis Fernensis (sicut et coeterae Catholicae huius regni) habet suum capitulum, in quo numerantur novemdecim capitulares, scilicet quinque dignitarii, ut decanus, praecentor, cancellarius, thesaurarius, et archidiaconus; quatuor canonici de officio (ut vocantur) nempe doctoralis, theologalis, lectoralis et paenitentarius; et decem praebendarii, nempe de Kilrane, de Feathard, de Edermine, de Taghmun, de Kilrush, de Toombe, de Clone, de Whitechurch, de Crosspatrick, et de Colstoff. At omnes tam dignitarii quam canonici officiales et praebendarii pastores seu parochi sunt, quia ut canonici nihil omnino ipsis subministratur: unde nullus chorus capitularis, collegialis nullus.

VII. Ecclesiae parochiales Fernenses fuerunt centum quadraginta et tres. Sed cum ob ingruentem haeresim et consequentes temporum calamitates tot parochi sustentari omnino non potuerunt, multiplices uniones necessario factae sunt; unde solum triginta sex parochi numerantur; immo illorum aliqui ob paupertatem absque vicariis vivere coguntur; a regularibus vero et vicino clero in audiendis confessionibus etc. identidem adiuvantur. Catholicorum ecclesiae capellae appellantur. Largitionibus fidelium et zelo pastorum humiles eriguntur, construuntur, aedificantur, magis spatiosae quidem et ornatae nunc quam nostris praeteritis temporibus, et sacra suppellectili etsi non splendida saltem decenti instruuntur, itaque nulli redditus fixi pro tali suppellectili, nedum pro fabrica; oratoria publica nulla.

VIII. Monasteria et regularium conventus Olim in dioecesi Fernensi septendecim fuere coenobia Canonorum Regularium S. Augustini, videlicet 1. Achad-Dable, 2. Begerin, 3. Camross, 4. Maghere-Nuidhe, 5. Fionmagh, 6. Disert-chenan, 7. Ross-Macrune seu Rossponti, 8. Taghmun, 9. Cluain-More, 10. Seanbothae, 11. Inbher-Dagan, 12. Fernae, 13. Fernae, 14. Selsker, 15. Dunae, 16. Clominae, 17. Enniscorthiae. Item tres prioratus seu praeceptorium Equitum Templariorum, postea Equitum S. Ioannis Ierosolymitani, videlicet 1. Selsker, 2. Kilcloganae, 3. Ballyhack. Item unus prioratus S. Benedicti Glascarigiae. Item duae abbatiae Cisterciensis ordinis S. Benedicti seu S. Bernardi, scilicet 1. Dunbrodiae, 2. Tinternae. Item ordinis Fratrum Minorum seu de observantia coenobia tria, scilicet 1. Wexfordiae, 2. Rossponti, 3. Enniscorthiae. Item duo coenobia ordinis Eremitarum S. Augustini, scilicet 1. Rossponti, 2. Clominae. Unum quoque coenobium Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, Horeton Parvae. Nullum apparet extare vel extetisse monasterium monialium in tota dioecesi.¹

Supra memoratis monasteriis, conventibus etc. iam a multis annis iniuria temporum et praecipue acatholicorum destructis, paucorum tantum ruinis magnificis apparentibus, quatuor tantum nunc extant domus seu hospitia regularium; una Fratrum Minorum seu de observantia Wexfordiae capellae publicae, quae est etiam parochialis, adiuncta, in qua sex patres vivunt communiter; altera Eremitarum S. Augustini Rossponti cum propria capella publica annexa, in qua duo religiosi et quandoque tres communiter vivunt; altera eiusdem ordinis prope Clominam, in qua nunc est unicus religiosus sine capella; et quarta Carmelitarum prope Horeton Parvam, in qua vivit unus tantum religiosus et absque capella. Hi omnes religiose vivunt, eleemosinis sustentantur et parochis vicinis in sacramentis ministrandis praesto sunt. Religiosi in communitate viventes subduntur suo priori, guardiano etc. at omnes subditi sunt suis respective provincialibus quoad regularem observantiam, episcopo vero quoad mores externos.

IX. Seminarium Nullum in dioecesi Fernensi extat seminarium ecclesiasticum. Clero quippe Catholico desunt omnino redditus fixi; nullum proinde beneficium, nulla taxa statuta. In singulis vero oppidis et districtibus parochialibus per dioecesim diversae sunt scholae privatae, ubi parvuli et adolescentes sub vigilantia et directione parochorum litteris humanioribus, linguis Latina et Graeca et rudimentis fidei et morum instituuntur. In oppido hoc scilicet Wexfordiae adest nunc schola sub

¹ The source for this list of pre-reformation religious houses is clearly Archdall, *Monasticon Hibernicum*, Dublin 1786. Bishop Caulfield includes among the houses of Canons Regular a number of small Celtic foundations of which, to say the least, it is quite uncertain if they ever developed into houses of Canons.

duorum religiosorum Minoritarum regimine, qui tradunt praelectiones philosophicas iuvenibus qui sacris destinandi sunt.

Deplorando huic seminarii defectui aliquantulum velle videtur gubernium nostrum occurrere: anno enim proxime elapso senatus seu parlamentum solemniter actu vel statuto licentiam erigendi seminarium seu collegium nationale catholico clero educando decrevit, et summam octo millium librarum sterlingarum ex aerario publico pro structura etc. liberaliter concessit; et in sessione anni praesentis summam aliquanto maiorem. Collegii huius adhuc infantilem statum non valet exponens describere: at magna spes arridet religioni Catholicae in hac insula grande adiumentum fore. Faxit Deus.

X. Unum dumtaxat extat hospitale mediocre quidem pro infirmis, quod est Wexfordiae, sub Protestantium regimine, et duo misera pauperum nosocomia, quae sunt Rossponti sub simili regimine et pro recipiendis exclusive acatholicis. Ob defectum redituum nullum datur collegium, nulli loci pii. Quaedam sunt confraternitates seu sodalitates piae, ut scapularis et doctrinae christianae. Haec nuper et salubriter instituta est.

XI. In dioecesi Fernensi, imo in tota Hiberniae regno, desunt montes pietatis.

Paragraphus Secundus

De ipso episcopo exponente

I. Residentia pastoralis Episcopus exponens (cui nil tam cordi esse potest quam salus bonumque gregis sibi immerito quidem commissae) residentiae praeceptum adimplevit et adimplet. A sua dioecesi nec per unicam hebdomadam unquam abfuit, nisi vocatus a suo metropolitano ad conveniendum cum confratribus suae provinciae, vel aliis aliarum provinciarum praesulibus ad tractandum vel de re Catholica concernente regnum, vel de morum regulis et disciplina spectante ad propriam dioecesim et provinciam. Excipiendum est tamen, quod anno 1788 ob aegram valentudinem, consilio medicorum, circiter duos mense abfuerit, ad bibendum aquam saluti (ut aestimatur) proficuum in oppido vel villa de Lucan, a Dublinio sex miliaribus distante, causa tamen cognita et probata suo venerando metropolitano; nec exponenti occurrebat necessitas S. Sedis consulendae, eo quia ultra mensem abesse non intendebat, et quia quotidie notitiam per tabellarios habebat a suo vicario generali et aliis de clero, de occurrentibus in dioecesi.

II. Visitatio pastoralis Anno supracitato excepto, ob aegritudinis impedimentum, episcopus exponens per se semper visitationem suae dioecesis si non quolibet anno, at saltem singulis bienniis explevit.

III. Ordinationis et confirmationis sacramenta Item per seipsum sacras ordinationes explevit et sacramentum confirmationis iugiter et plerumque in decursu visitationis administravit.

IV. Synodus dioecesana nulla Synodum dioecesanam cogere nunquam ausus est episcopus exponens, propter difficultates et angustias temporum, viz. propter pericula a magnatibus, magistratibus et aliis rei Catholicae malevolis formidanda, qui cleri Catholici coetum quemcumque numerosum ut reipublicae periculosum condemnant et de eodem in senatu regni seu parlamento aperto ore conqueruntur. Ob easdem causas nulla synodus provincialis celebrata est.

V. Verbi divini praedicatio Verbum Dei saepe per seipsum praedicat; et constanter in decursu visitationis. Legitime impeditus viros assumit idoneos ad praedicationis officium salubriter exequendum.

VI. Depositarium mulctarum et poenarum pecuniarum Episcopus exponens nullum habet depositarium mulctarum seu poenarum pecuniarum, praeter unum valde tenue ex pecuniis solutis a sacerdotibus qui ob absentiam a conferentiis casuum conscientiae mulctantur, et quae in usum coetus praesentis expenduntur, vel in pauperum levamen erogantur, et alterum satis tenue ex mulctis oblati et solutis pro dispensationibus matrimonialibus, scilicet publicationum seu bannarum et in consanguinitatis et affinitatis gradibus, vigore facultatis a SS. Domino Nostro, sub die 2 Augusti 1795 exponenti concessae, ob eius nimium tenues ad vivendum et incertos redditus. Hae quidem in subsidium egentium sacerdotum et pauperum laicorum et pro educatione pauperum puerorum maxima ex parte ut in pios usus erogantur.

VII. Nulla omnino taxa Nulla Innocentiana vel alia taxa observatur in cancellaria Fernensi.

VIII. Plura exercitio iurisdictionis ecclesiasticae obstant Plura in dioecesi Fernensi, sicut et in toto regno, ob dominantem haeresim obstant exercitio episcopalis officii, iurisdictionis ecclesiasticae, tuendaeque libertati et immunitati ecclesiarum. Religio namque Catholica in hac regione nulla gaudet immunitate, sed sola tolleratione et ea quidem nimis limitata; unde suasionem, exhortationem, et precibus, potius quam auctoritate, caute et prudenter episcopis Hibernis procedendum est.

IX. Dolet quidem et pudet episcopum exponentem non posse gloriari de aliquo pio opere pro ecclesia, pro clero aut pro populo peracto. Eius enim redditus annui maxima parsimonia suppetunt ad victum, vestitum, domicilium, famulatum, et duos equos ad portandum ipsum et eius famulum per dioecesim. Nihilominus capellam parochialem Sanctae Mariae Rosponti ipsi commendatam aere proprio decoravit et sacris vestibus copiose ornavit. Ad erigendas et ornandas capellas publicas per dioecesim pro, vel etiam ultra posse suppeditat, sicut et ad succurrendum infirmis et egenis, praesertim sacerdotibus.

*Paragraphus Tertius**De Clero Saeculari*

I. II. III. IV. V. Ex iis quae supra relata sunt paragrapho primo de statu cathedralis, ecclesiarum collegiatarum, dignitatum et canonicorum, episcopus exponens arbitratur sufficienter responsum esse quaesitis sub hisce numeris propositis.

VI. Parochorum residentia Parochi omnes in suis respective parochiis constanter resident, et

VII. Libros matrimoniorum et baptizatorum retinent, non vero confirmatorum et mortuorum; posteriores libri quasi ubique desiderantur, neque ob peculiare circumstantias absque summa difficultate retineri valeant sicut oportet.

VIII. Parochi aliorum sacerdotum opera et auxilio indigent Parochi omnes etiam ii qui vicariis adiuvantur aliorum sacerdotum opera indigent ut sacramenta populo frequenter et debite administrent, et ut devotioni et pio fidelium desiderio lucrandi indulgentias etc. satisfaciant; messis quippe multa operarii vero pauci. Dioecesis Fernensis valde populosa est: in ea enim numerantur ad minus centum et viginti millia incolarum, ex quibus saltem centum et quatuordecim sunt Catholici; sacerdotes vero saeculares et regulares numerum octogesimum vix attingunt, unde frequenter per octo, decem, et quandoque duodecim horas diei coguntur in confessionario assidere, imo tota die, excepto tempore celebrationis Missae, refectionis, et divini officii recitationis, uti saepissime ipsi exponenti evenit, et quod maxime dolendum est, huius paucitatis ministrorum non est possibile remedium, ob paupertatem Catholicorum et tenuitatem oblationum pro alendo clero.

IX. Parochi communiter praedicant Parochi diebus dominicis festisque solemnibus per se communiter, vel si legitime impediti, per alios idoneos plebes sibi commissos pro sua et earum capacitate salutaribus verbis pascunt, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, iuxta monitum concilii Tridentini etc.

X. Parochi fidei rudimenta exponunt Parochi diebus dominicis et festivis in suis respective parochiis fidei rudimenta necnon obedientiam erga Deum et parentes pueros ceterosque hoc adiutorio indigentes docent; et ipsis operam praestant ludimagistri, iuvenes sacros ordines suscipere desiderantes, et alii ad normam Confraternitatis Doctrinae Christianae: et sane hoc opus salubriter et fructuose exequentur.

XI. Missam pro populo applicant Parochi coeterique animarum curam exercentes singulis dominicis festisque de praecepto Missam applicant pro populo eorum curae commisso, etiam iis diebus a quibus ex indulto apostolico ablatum est praeceptum audiendi Missam.

XII. Praemissa ad minores et sacros ordines Antequam quis ad primam tonsuram et minores ordines admittitur debitum examen quoad doctrinam, mores, indolem, et alia requisita praemittitur; et tam ipsi, quam ad sacros ordines promovendi, piis meditationibus, seu spiritualibus exercitiis, per aliquot dies vacant vel in aliqua domo religiosa vel sub cura alicuius pii sacerdotis.

XIII. Cleri vestes et fori privilegium Praedicti vestes clericales et talares extra capellas deferre non audent, utpote per leges poenales prohibiti. Quoad vestimenta ordinaria, nigra, vel subnigra et gravitatem prae se ferentia ut in plurimum sunt. Ad fori privilegium quod attinet, non possunt in hoc regno servari quae de eodem disponuntur a synodo Tridentina sess. 23 cap. 6 de reform. et a constitutione Sanctissimi Domini nostri Benedicti Papae XIII in concilio Romano emanata.

XIV. Conferentiae casuum conscientiae et rituum Conferentiae casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum habentur per dioecesim Fernensem a mense Aprilis ad mensem Novembris exclusive; ultra haberi non possunt ob distantiam locorum et temporis hiemalis intemperentiam et rigorem. Hisce intersunt omnes sacerdotes saeculares, ipsemet exponens frequenter, et plerumque etiam regulares, cum fructu non modico tam conscientiae quam disciplinae ecclesiasticae.

XV. Mores cleri saecularis communiter integerrimi sunt et quidem eximii attentis peculiaribus regni circumstantiis; nec in eo apparet scandalum quod remedio indigeat potentiori.

Paragraphus Quartus

I. Nullus parochus regularis Nullus omnino regularis curam animarum in hac dioecesi exercet; vocati vero frequenter parochos adiuvant in administrandis sacramentis et praedicatione verbi, et hoc munus fideliter adimplent.

II. Nullus regularis expulsus vel delinquens Regulares omnes in suis hospitibus degunt absque scandalo; nullus expulsus, neque notorie delinquens.

III. Episcopus animadvertit in regulares Episcopus exponens in regulares quoad morum externam honestatem animadvertit, quod rarissime necesse habet.

IV. Nullum cum eis offendiculum Nullum cum regularibus habet offendiculum in exercitio suae iurisdictionis.

Paragraphus Quintus

De Monialibus

I. Moniales nullae In dioecesi Fernensi nullum extat monialium monasterium; monialis nulla.

*Paragraphus Sextus**De Seminario*

I. Seminarium nullum Nullum in dioecesi Fernensi extat seminarium, ut dictum est paragrapho primo.

*Paragraphus Septimus**De Ecclesiis, Confraternitatibus, et Locis Piis*

I. Onera Missarum etc. Onera Missarum in dioecesi Fernensi pauca sunt et casualia; ad ea implenda quantum licet invigilat episcopus exponens; testatorum haeredibus principaliter cura incumbit; nam penes ipsos bonorum administratio residet, minime vero apud clerum.

II. Ad quaesita sub numeris II, III, IV et V huius paragraphi iam supra respondit episcopus exponens, de confraternitatibus, locis piis, montibus pietatis et hospitalibus agens.

*Paragraphus Octavus**De Populi Moribus*

I. Populi mores Populus communiter pietate parum proficit, imo multi aliorum exemplo licentius et speciosa libertate ad prava declinant; qui perfectiores videntur rarius ad sacramenta accedunt; attamen multi singulis mensibus et diebus in quibus concessae sunt indulgentiae sua peccata confitentur et sacra communione reficiuntur. Fernensis sicut et aliae regni dioeceses inopia sacerdotum laborat, et proh dolor! absque remediis, ut iam dictum est. Paucissimi sunt qui nunc sectam haereticam amplectuntur; plurimi vero acatholici ecclesiae Christi reconciliantur. Benedictus Deus!

Tumultus periculosi Tumultus graves in provincia Casseliensi primo exorti aliquibus abhinc retro annis, et dioecesim Ossoriensem, quae Fernensi ad occidentem cotermina est, invadentes, huic maxima mala minati sunt. Hi ab homuncionibus se appellantibus Pueri Albi, anglice *White Boys*, excitabantur, hosque stimulantibus, latenter tamen et caute, aliquibus Protestantibus contra ministrorum Protestantium agentes seu procuratores, ob iniustam, ut aiebant, et violentam ab ipsis factam decimarum exactionem. Istis successere alii similes pravi, Pueri Recti seu Aequi nuncupati, anglice *Right Boys*, qui non solum decimas non solvendas omnino, vel saltem minuendas statuere, sed etiam proprios pastores Catholicos solitis precariis subsidiis privare moliti sunt, iuramento ad hoc sese invicem obstringentes. His iterum perterritus episcopus exponens et ardentem cupiens occurrere, exemplum et consilium Illmi. et Revmi. Domini Thomae Troy eximi tunc praelati Ossoriensis secutus, exhortationibus, pastoralibus, et censuris comminatoriis ingruentia mala, Deo auxiliante, pro tunc avertere valuit. At horribile dictu! anno 1793

in dioecesi Fernensi ipsa usque tunc tranquilla insurrexerunt eiusdem furfuris homines, populus quasi totus trium vel quatuor parochiarum, similibus professione, intentione et obiecto, sese mutuo simili iniquitatis vinculo obstringentes, et coniurare renuentibus horrenda minitantes, ut domorum et frumenti combustionem; armentorum pecudumque mutilationem et occisionem; imo et ipsis suisque destructionem et mortem. Haec aperta luce peragebantur, populo ad capellas congregato, ad audiendam Missam, die dominico vel festivo de praecepto, ita ut assimilari possit abominationi desolationis etc. Pro nihilo habebant consilia, exhortationes, comminationes et censuras pastorum et episcopi, donec congregatis copiis et agmine facto valde numeroso, et pro eorum conditione, industrioso furore arma subministrante, venerunt Wexfordiam, eo declarato consilio ut liberarent duos suorum complicum hic incarceratos, et in casu resistentiae ut oppidum comburerent reducerentque in cineres. In oppidi introitu illis obviam se fecit cohors regularis militum, factoque congressu multi insurgentium occisi sunt, plurimi vulnerati, et ex illis multi mortaliter, qui fugientes per agros et segetes mortui sunt, alii capti, incarcerati, et iuxta leges convicti poenas seditosae insaniae in patibulo luerunt. Ex parte regularium dux cohortis solus primo congressu occubuit. Hac tristi et luctuosa catastrophe perterritus populus redierunt ad cor, et ex tunc magis dociles et paenitentes se exhibent: praeterea legibus exinde latis magna ex parte reprimitur animus iste licentiosus et seditiosus, qui per plurimas regni partes sese prodiderat; ita ut nunc spe erigimur fruendi pace et tranquillitate saltem interna in hac dioecesi (tumultibus supra narratis exceptis) totius regni industriosissima et docillima.

Huc usque scripseram usque ad diem Februarii 3 anni 1796.